

I. N. J.

THEOLOGIAM GENTILIIUM
DOCTORUM VETERUM,

Publice repræsentabit

PRÆSIDE

VIRO

*Summe Reverendo, Magnifico, Amplis-
simo atque Excellentissimo,*

DN. JOH. DEUTSCHMANNO,

Doctore Consummatissimo, Prof. Primario perquam me-
ritissimo, Collegii Theologici Seniore maxime Venerando,
Templi ad Arcem Præposito Vigilantissimo, Alumnorum
Electoralium Ephoro Gravissimo, Theolo-
go per universam Ecclesiam Ce-
leberrimo,

Dn. Patrono, Præceptore, Hospite, atque

*Studiorum suorum Promotore, pio obsequio, Parentis
instar, æternum colendo devenerandoque,*


Auctor Respondens

M. JOHANNES Heyl/

Zakolczâ-Hungarus,

Die 2. Januarii, An. 1696.

In Auditorio Majori.



WITTENBERGÆ

Prælo SCHULTZIANO Acad. Typogr.

7. XXX 25.

a. XXVI. 9

Coll. diss. A
26, 9

V I R O

*Generoso, Magnifico, Nobilissimo, Am-
plissimo atque Excellentissimo,*

DNO. JACOB

ab HARTIG,

**Equiti ad D. Marci Splendidissimo, Hæ-
reditario in Hörnitz nobilissimo, Consuli Reipu-
blicæ Zittaviensis meritissimo, Inspectori
Gymnasii Vigilantissimo.**

*Dno. Mecænati, studiorumque suorum
Patrono maximo,*

Theologicam hancce Gentilium διασκηψιν
Studiorum suorum ἀποδείξιν
gratæ mentis σύστασιν,

debitæ observantiæ δαπάνησιν

Studii Academici ἀξίωσιν

Submisit offert,

reverenter dicat,

religiose consecrat

ut voluit

ita debuit


M. Joh. Meyl/

Cliens observantissimus.



Handwritten signature or scribble in brown ink.

Handwritten number 1177 in brown ink.



B. C. D.

§. I.



Theologia, (unde τὰ θεολογόμενα dicuntur,) vox multiplicis significatūs, nec gentilibus ignota, non ad solos verbi patefacti cœlitūs restringi limites, sed nec cum *Evangelio* (quod *Rom. I, 16.* dicitur *potentia divina, utilis credenti omni, ad salutem,*) facile confundi debet. De Theologia Christiana, quatenus vel vera est, vel à falsariis corrupta, illi maximè laborent, quibus sanctior in cathedris provincia docendi est mandata; nos, quæ in Scriptoribus profanis, & humanæ Sapientiæ doctōribus antiquis deprehendimus, θεολογόμενα, exposituri sumus. θεολογόμενα vocamus rectiūs, quàm illa *Asclepiadis Ægyptii* arcana sacra, ad exemplum *Aristotelis Suetoniique*, in *Augusti* vita c. 94. audiunt; quemadmodum γεογεγόμενα *Artemidorus*, aliū φιλολογόμενα appellant. Utinam non docuisset summus alioqui Vir, *Borrichii* antagonista, (in *Hermetic. Philos. l. I. 8. 2. p. 3.*) Gentilium Theologiam omninò partim ex fabulis, & maleferiatorum hominum, partim ex dæmonum illusionibus profectam esse. Φοβηκὰ αἰδέσματα hæc notiis innatis, & experientiæ, & sanæ rationi contradicere, jamdudum demonstrârunt magna eruditionis lumi-

lumina, post *Grot. Vales. Morneau, Seldenus, Bochartus, Pignor. Kircherus, Witsius, Spencerus, Puffendorfius, Ulr. Obrecht.* (in *Theologia Celtica*) *Verelius, Rudbeckius, Orvenus, alii.* *Spicilegium*, post *messem à Gerb. Job. Vossio*, elogium omne nostrum supergresso, antè seculi dimidium collectam, de *Origine ac progressu Idololatriæ veterum Gentilium*, & *racemationem*, post *vindemiam*, à diligentissimo susceptam *Viro, Dn. Tob. Pfannero*, per *Gentilium Theologiam puriorem*, instituire, fas nobis & facultas fit! ut constet in epitoma, quod laxiore habitu systematis vel dilatatum & dispersum est ab aliis, vel penitus omissum. Etsi enim vetustissimis gentilis sapientiæ antesignanis, *Zoroastro, Mocho Pœnicio, Hermeti Trismegisto, Orpheo, Pythagora, Ocello Lucano, Socrati, Platoni, Stoicis* quibusdam, *Ciceroni, Seneca* (ne de *Hesiodo, Virgilio, Ovidioq;* aliquid jactemus,) *divinarum personarum, rerum, actionum, ignorantiam omnimodam non tribuamus; cum Gentilium doctore Paulo* tamen arbitramur, utut τὸ τῶ θεῶ γνωστὸν φανεροῖ in cordibus extiterit eorum, ad stuporem usque, & opprobrium Christiani nominis, eosdem tamen ἀναπολογήτους tantum universâ hâc scientiâ effectos; quando φαίσκοντες σοφοὶ εἶναι, ἐμωρέθησαν. *Rom. I, 19. 22.*

§. II. Edidit *Jessenius à Jessen*, Medicus infelix *Pragæ*, haud incelebris Professor ante, seculo superiori senescente, *Zoroastri* nomine libellum, *Witteberge*. In illius dedicatione statuit: *Chaldeum Zoroastrum tam perspicuè scripsisse, ac de Trinitate censuisse ut Hebræis, & Mahometistis. & aliis indicere bellum, & hos vincere ipsius armis liceat.* Idemque in præfatione: *Undecunq;* hauserit, *credibile esse, quæ de mysterio Trinitatis scripsit, à conterra-*
neo

neo, *Abrahamo coetaneo, edoctum suo esse.* Mirum, quod non addidit *Zamolxin*, antiquissimum Legislatorem *Geticum?* de quo Clariss. Vir, *Carolus Lundius*, in *Svecia* Prof. Juris & Provincialis Judex, C. IX. gloriatur, ex *Philosophia* hanc *Samolxis* (quam peculiari nuper libro illustravit) orbis *Hyperborei* majores veri juris & justitiæ præcepta & principia hausisse: *Deum esse, qui creata regat omnia & cogitationes: Deum præmia decernere hominibus & pœnas in hac, & futura vita: perfectam nihilominus justitiæ divinæ ideam animis mortalium non posse comprehendere: post migrationem ex hac vita pœnas præmiaque omnium verissime expleri.* Quanquam ut hæc talia de pluribus asseverare fas sit ethnicis Scriptoribus; sic tamen minimè *Jessenio*, quod arguit, largimur.

§. III. *Heraclides Ponticus* oraculum, quod erat celebre *Serapidis, Plutonis* asserit fuisse. Hoc cuidam consulenti Regi ex *Ægypto*: quisnam se esset beatior? sic respondisse fertur:

Πρῶτα Θεός, μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς,
Σίμψυλα δὴ τρία πάντα, καὶ εἰς ἓν ἴοντα.

*Principio Deus est, tum Verbum, his Spiritus
unà est;*

*Congenita hæc tria sunt; cuncta hæc tendentia
in unum.*

Poteratne juxta eos, quicquam manifestius de Deo in personis trino, uno autem in essentia, ab homine, non dicam ethnico, sed Christiano etiam, notari ex oraculi gentilis ore? Hoc ideò retuli, (*Gyraldus* ait in *Histor. Leon. Syntagm. 6. f. 271.*) ut videas, à *Plutone* *Trinitatis* *Mysterium* assertum esse. Fuit *Heraclides*, *Ponto* oriundus, *Platonis* & discipulus & familiaris. Serio probare nititur *Cluverius*,

in Germaniæ antiquæ lib. i. c. 29. ut obtineat, *Germanos* priscos, tempore *Cæsaris* & adhuc *Taciti*, *unum, verum, ac æternum Deum, sub Solis, Lune, atq; Ignis Numine, in Trinitate coluisse.* Quod si ita foret, præsentissimè confundi atque confutari possent *ἀντιλέγοντες*, Ecclesiæ Judaicæ in T. V. de SS. Trinitate parùm confutisse. Sed & hoc alibi ab aliis sufficienter refutatum est; & mallem egomet, solidiora à *Cluverio* producta, argumenta, quàm sequentia: *Majores nostri unum, solum, æternum agnoverunt Deum, in personis tribus, Patris, Filii & Sp. S. quemadmodùm ipse primo eorum Patri Manno, (Adamo) se manifestaverat; hic verò filios nepotesque suos edocuerat. Antiquà tamen Satana illusione, unà cum reliquis mortalibus, circumducti, trinam hanc divinitatem (una est divinitas, quantumvis tres personæ sint divinæ;) rebus, à vero æternoque Deo eruditis attribuerunt, Soli, Luna, ac Vulcano: ita, uti Solem intelligerent, esse Deum Patrem, Lunam, Deum Filium, Ignem Deum Spiritum S. Vetutissimos idem sensisse Ægyptios, ostendit Diodorus libro. i.*

§. IV. Quàm vellem, ut certius per hæc & alia pugnasset tela, contra Trinitatis adversarios, *Cluverius!* Sed & univèrsus idololatriæ veterum in Germaniæ contextus aliud evincit; & invalidum omninò argumentum est à tribus falsis istiusmodi Numinibus petitum. Ecce enim & *Peruviani* (ut *Josephus* memorat à *Costa*, lib. 5. rer. *Indiæ Occidentalis*. c. 4.) tria credunt Numina, tres summos venerantur Deos, *Viracocham, Solem, Tonitru.* Simile quid *Job. Hug. Linschotanus* memorat in *Indiæ Hist. de Tangatanga*; Sole patre, Sole filio, & Sole fratre, quasi sit in tribus unus, & in uno trinus. Fallor? an *Christoph. Columb.* talia in *Mexico* obser-

observârat A. 1492. Quæ autem hæc Theologia?
aut, quæ saltem consequentia? Cur non ad *Græcos* po-
tius respexit, aut *Ægyptios*, historiarum peritissimus
magister? Nam si ex *Morneo*, de Religionis Christian.
veritate, c. VI. aut, ex Patribus quibusdam, (*Tertull.*
Clem. Alex. Euseb. ac Augustino,) aut ex ipsis denique *Pla-*
tonicis, i. e. *Amelio*, *Numenio*, *Plotino*, *Proclo*, *Marsilio Fi-*
cino, ea, quæ de tribus *Hypostasibus* sunt commentati, ob-
servasset, quæque λόγῳ πατρικῷ ἀκρίτως tribuissent; credo,
ipsum paria de *Platone*, quæ *Jessenius* de *Zoroastro* dix-
erat, exclamaturum. Sed de *Trinitate* hæc *Platonica*, aut
rectius τετραδικὴ ἰσία (quæ μοναδικὴ debebat appellari
verius,) ut ab eruditissimis jam ætatis Viris aliis suffi-
cienter est; sic, præter absurdissimam *Amelii*, nota-
tam ab *Eusebio* πρὸ Θεοῦ, hoc loco parum addimus, La-
tinâ tantum versione: Utique hoc Verbum erat, per
quod semper cum sit, ea, quæ sunt, extiterunt; quemadmodum
& *Heraclitus* statuit: & quod per *Jovem* barbarus ille (per
τὸν Βαββαρον intelligit *Evangelistam* divinissimum *Johan-*
nem,) vult in Principio, gradu atque dignitate constitutum
apud Deum esse, & esse Deum; perque illud omnia facta esse;
&c.

§. V. Nec saniora, quæ interpolare ausi sunt *Pla-*
tonici Philosophi, *Dionysius* & *Chalcidius*, πρὸ τῶν τετραδικῶν
ἰσοσιῶν; quod πρῶτος sit supremus, proprièque bonus,
secundus universi opifex; & tertius, mundi anima. Pri-
mus jubet, ordinat secundus, tertius intimat. Quid hoc est
aliud, quàm facere ex luce umbram, & ἐν τῷ Νεολογισ-
μοῖς ματαιωθῆναι; *Rom. I, 21*. Undecunque fluxerint,
hi rivuli, non satis limpidi, seu ex *Ægyptiorum* schola (ut
Herm. placet *Witsio*, & *Celeberr. Huetio*, in *Demonstr.*
Ev.) seu ex sacris *Hebræor.* monumentis? (ut *Edmundus*
Dickin-

Dickinsonius in *Delpb. Phœniz.* contendit, ad probandam Trinitatis veritatem infallibilem non tantum conferunt, quantum vel intempestivè credui ex Patribus, vel ex hoc seculo Philos. nonnulli periculose statuunt. *Iustinum* laudat *Sandius*, scribentem in Dialogo Tryphonia-
no: *Dogmata Platonica à Christi dogmatis non esse aliena*; *ὅτι ἀλλοτρεῖά ἐστι τὰ πλάτωνος διδάγματα τῆς χριστιανικῆς*. Et *Augustin.* Ep. 56. de ver. Relig. c. 3. 4. nec non in confess. lib. 7. c. 9. VIII, II. *Platonicos Philosophos, mutatis paucis, esse Christianos, omniumque posse fieri facillimè Christianos.* Forsan, ut *Agrippa ἐν ὀλίγῳ Christianus?* Act. 26, 28. Sed non mox ὁμοία νοῶσι, qui λαλῶσι. Et ne quidem, *ἡμοῖα* sunt re, aut voce, quæ *Platonici* ad *Christianum* trahunt sensum; & cum his *Morneus* de Relig. Christi. c. 6. Dn. *Franciscus Mercurius, Helmontius, Robertus Barclajus, Sandius, Gaudentius* & similes, ab aliis rectissimè notati.

§. VI. Pro *Dei* tamen existentia feliciter ac efficaciter ex lumine Naturæ, inscriptæque illi lege, & divinâ providentiâ, adversus *Atheos* (proh pudor! inter *Christianos* medios, in Aulis maximè & caulis oberrantes!) testimoniis Gentilium pugnare liceat. *Quis est tam vecors,* (quærit *Cicero*, Orat. de Haruspic. respon.) *qui, cum suspexerit in cælum, Deos esse non sentiat? Et ea, que tantâ mente fiunt! ut vix quisquam arte ulla ordinem rerum ac vicissitudinem persequi possit, casu fieri putet?* Idem *Tullius* pulcherrimè in *Tuscul. qq. l. i.* *Cum videmus, ait, speciem primùm candoremque cæli, deinde conversionis celeritatem tantam, quantam cogitare non possumus: tum vicissitudines dierum atque noctium, commutationesque temporum quadripartitas, ad maturitatem frugum, Et ad temperationem corporum aptas eorumque omnium moderationem Et ducem Solem, Lunamque accretionem Luminis Et diminutionem, quasi*
fasto.

fastorum notantem & significantem dies. Plura, contra Atheos, egregia Romanus Consul suggerit de nat. Deor. lib. I. ne quid memorem de Senectut. libr. Ex Apocatastasi Astrorum Stoicus Philosophus Timocles, ap. Lucian. contra Damidem Epicureum, Deos divinamque providentiam negantem, disputat, ex mundo, & convenienti semper ejus ordine, ostendens Deos esse. Verba ipsa, quoniam prolixiora, non adducimus. Ueberiora tamen adhuc illa sunt Plotini, principis Platoniorum, (ex Macrobbii judicio in somn. Scipion. l. I. c. 8.) in quo maximè, ut Augustini verba mutuemur, os Platonis nubibus emicuit dimotis; quique ita ejus similis est judicatus, ut simul vixisse eos, tantum autem tempore differre, & in hoc ille revixisse sit putandus; quærit ipse: *Quisnam mundi dispositionem merito vituperet?* Ac inde providentiam æternam adstruens, de his ambigere: *an Deo mundus curæ sit?* ne utiquam prudentis, imò cæci est, & omnino non habentis mentem, ait. Sed quid laboramus amplius, pro confirmanda Dei existentia, adversus Atheos, ex gentilium Sapientum *πανοπλία*? Quam & divus Paulus Act. 17, 28. ex Arato hemistichio asseruit hoc: *τὸ γὰρ καὶ ἡμεῖς ἐσμὲν.*

§. VII. Nobiliora Dei attributa hæc an intellexerint pagani? si quis quærat v. g. *Omnipresentiam, Omnipotentiam, Æternitatem, &c.* Respondemus ordine. Ad prim. exquisitè Seneca epist. 41. *Non sunt, ait, ad cælum elevanda manus, nec exorandus edituus, ut nos ad aures simulacri, quasi magis exaudiri possimus, admittat. Prope est à te Deus; tecum est; intus est.* Ita dico, Lucili: *sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator & custos: hic, prout à nobis tractatus est,*

B

est,

est; ita nos ipse tractat. Plura hinc mysteria involvit Sa-
 piens. Præsentiam nimirum intimam, immediatam,
 & operatricem. Et ne quis solummodo ad homi-
 nem, qui Deo curæ est præ cæteris, restringat hanc
 præsentiam; ad sylvas ad specus, provocat, & flumina.
*Si tibi occurrit vetustis arboribus, & solitam altitudinem e-
 gressis, frequens lucus, & conspectum Cœli, densitate ramo-
 rum, alios protegentium, submovens, illa proceritas sylvæ,
 & secretum loci, & admiratio umbra, in aperto tam dense at-
 que continua, fidem tibi Numinis facit. Et si quis specus, saxis
 penitus exesis, montem suspendent, non manu factus, sed natu-
 ralibus causis, in tantam laxitatem excavatus, animum
 tuum quadam religionis suspicione percutiet. Magnorum
 fluminum capita veneramur: subita ex abdito vasti amnis
 eruptio aras habet. Hæc profectò causa est, quam obrem
 non Judæi tantum idololatræ in montibus sylvisque,
 & quercetis adorare Deum soliti fuerunt; sed in uni-
 versum Celta nemora lucosque venerati sunt religio-
 sius. Germanis priscis Tacitus, in moribus illorum de-
 scribendis, proprium hoc quidem facit, quod commu-
 ne tamen Gallis erat, teste Plinio, Hist. N. 12, 1. Sarmat-
 is antiquis etiam, Cromeri fide, lib. quintodecimo Histo-
 riar. Conf. & Hartknoch. part. 1. Chronic. Pruss. c. 5. f. 116.
 Hyperboreis, Loccenio auctore, in Antiquit. Sveo-Goth. l. 1. c.
 3. De Celtis generatim Maximus Tyrius, ex schola pro-
 diens Platonis, idem memoravit dissert. 38. Apud Apu-
 lejum Trismegistus asserit: in omnibus ubique Deum esse, ac
 in Deo omnia. Ad quem sensum provocavit contra,
 sciolos Athenienses, aram τῷ θεῷ ἀγνώστῳ dedicantes,
 Paulus Act. 17, 23. & 28. Ἐν αἰνῶν γὰρ ζῶντων, καὶ κινῶμενων,
 καὶ ἑσπερων*

§. VIII. De Omniscientia egregiè Hesiodus oper.
 & dier. libro canit. ver. 265: Πάν-

πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμῶν καὶ πάντα νοήσας,
*Omnia videns Jovis oculus, omnia intelligens. Quid
clarius? Xenophonte referente i. memorabil. Socrates:
Θεὸς πάντα εἰδέναι, ἅτε λεγόμενα, καὶ πραττόμενα, καὶ ἄσπεκτα βυλε-
ύμενα: Deos omnia scire, vel quæ dicerentur, vel age-
rentur, vel quæ tacitè deliberarentur. Et ap. eun-
dem de Dei providentia, sub cura sua universa comple-
ctente, statuit Poëta, vers. 247.*

— Ἐστὸς γὰρ ἐν ἀνθρώποισιν ἔδντες
ἀθάνατοι ἄλλοσυσιν, ὅσοι σκολιῆσι δίκησι
ἀλλήλους τρέβουσι. Θεῶν ὅπιν ὄσα ἀλέγαντες.

*Propè inter homines versantes Dii vident, quotquot pravis
judiciis se mutuò atterunt, Deorum vindictam non curantes.
Idem, tale esse Numen, ut omnia pariter videat, ἔ-
audiat omnia, ἔ-ubique adsit, ἔ-periter omnium
curam gerat:*

πάντα ὄρα, καὶ πάντα ἀνθεῖν, καὶ ἕμα πάντων πανταχῶς
παρεῖναι. Dictum Seneca Lactantius miratur. c. 24. de ver.
cult. Magnū, nescio quid, majusq̄, quàm cogitari potest, Numen
est. Nihil prodest inclusa conscientia; patemur Deo. Cæle-
stem prorsus hanc Orationem nominat. Memora-
bile Hermetis Trismegisti dictum, referente Apulejo, de
nat. Deor. pertinet hūc: omnia ab eo, ἔ-in ipso, ἔ-
per ipsum. Ferè, ut divinus Paul. Rom. II, 36. ἔ-
αὐτῷ, καὶ δι' αὐτῷ, καὶ εἰς αὐτὸν, τὰ πάντα.

§. IX. De Æternitate Dei, Madaurensis iterum Philo-
sophus Hermetem introducit ad Asclepium dicentem:
Deus sempiternus, Deus aternus, nec nasci potest, nec potuit:
Hoc est, hoc fuit, hoc erit semper. O quàm præcla-
rè! ad exemplum divinissimi oraculi: *Sum, qui sum;*

Ex. 3. 14. ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος; Apoc. 1, 8. Idem
Apulejus denuò ibid. *Æternitas Dominus Deus est*;
 sic in abstracto Deum, Dominumque simul nominat
 gentilis homo, & Philosophus *Platonicus*. In discussio-
 nibus Peripateticis *Xenophanem* Patritius allegat, Tom.
 2. lib. 3. quòd Numen appellaverit αἰδίως δ' ὢν, ἀπειρον εἶναι
 ens *perpetuum*, & *sine fine*. Pertinet *Minervæ* fani hùc
 inscriptio relata de *Saitis* in *Ægypto*, per *Plutarch*.
 Εγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονός, ἢ ὄν, ἢ ἐν, ἢ ἐσόμνον; *Ego sum, quod exi-*
stit, unum, est, & erit. Apud *Laërtium*, interrogatus in ipsius
 vita, *Thales*: τὸ θεῖον; τὸ μήτε δεχλὼ ἔχοντι, μήτε τελευτῶ.
Rectius, quàm *Aristoteles* de mundo; quòd *nec initium, nec*
finem habeat. Gemina id genus, de *Immensitate Dei*, si libe-
 ret, operam prolixitati dare, liceat afferre. Præter-
 quàm enim, quòd hæc ex *Omnipræsentia*, *Omniscien-*
tia & *Æternitate* fluat, locus opidò notabilis est ille,
 ap. *Apulej*. post initium, de *Nat. Deor.* *Divinitatis ratio,*
divina sensus intentione miscenda, torrenti simillima est, fluvio
è summo in prouum precipiti rapacitate currenti; quo efficitur,
ut intentionem nostram non solùm audientium ipsorum celeri
prætereat velocitate. Cæli verò, & ipsius anime, & o-
mniū, quæ in mundo insunt, ipse gubernator est,
qui est effector omnium, Deus.

§. X. *Justitiam retributivam* Numinis, malorum
 vindicis, bonorum omnium compensatoris, si ex *Sa-*
pientum veterum confessione niteremur illustrare,
 citius exordium, quàm finem, inventuri simus. Er-
 go quid in vita altera, post hanc caducam, vi *justitiæ*
divinæ, homines sint experturi, videamus. Unus, in-
 star omnium, sit *Plato*, qui sic differit in *Axiocbo*, ut illius
 verba planè aurea *Rudbeckius* C. L. & ab oblivione nul-
 la

lâ unquam abolenda statuat, Atlanticor. Tom. I. c. 22. ubi *Acheronta* investigat, f. 536. *Quum anima & corporis solutio sit facta, animam ad inconspicabilem quendam proficisci locum, subterraneum quidem illum: in quo Platonis regia non minor Jovis aula, sita sit. Terram universi obtinere medium; globosum cœlum esse, cujus dimidiam tenerent partem cœlestes, majorumque gentium Dii: alteram inferi, quorum alii essent fratres, alii eorum ferreis firmari claustris. Et paucorum interpositu, de Acheronte & Cocyto, subjicit: Trajectis his, ad Minoën & Rhadamanthum deduci oportet, in eum locum, qui CAMPUS VERITATIS appellatur. Ibi sedent Judices, qui, quam quisque vitam egerit eorum, qui illuc veniunt, quibusvè in studiis versatus sit, dum in corpore esset? questionem habent. Illi, qui boni demonis ductum auspiciūque secuti, vitam imitati essent Deorum, beatorum piorumque sedes incolere.*

§. XI. Intelligis nimirum hinc, non tantum præmia pro bonis, piis, & cultoribus Virtutum, sed supplicia etiam pro malis, impiis ac vitiosis, à divina Nemefi, gentilium doctores expectasse; sed & incorruptos Veritatis judices, sub involucris quidem fabularum, statuisse, ac distincta, post hanc vitam, loca. Nunc, quæ ista sint; quid rerum ibi agant animæ? ex allegatis antea Platonicis observa. *Ibi tempestates anni frugum omnis generis copiâ & ubertate abundare, fontes aquis limpidissimis scatere, herbis variis prata convestiri; illic Philosophorum scholas esse, theatra Poëtarum, & circulares choros, musicas auditiones, opportunè composita convivia, & dapes, quæ ultrò ex ipso loco suppeditantur, & immortalem letitiam, omni denique jucunditate perfusam vitam. Non enim vel iniquum frigus, vel intemperatum calorem ibi dominari, sed benè temperatum aërem diffundi, subtilibus Solis radiis illustratum.*

Quorum autem vita per scelera traducta esset, raptari à Furiis ad Erebum, & Chaos, per Tartarum. Illic impiorum profligatorumque sedem esse destinatam; ibi Danaïdum perpetuas esse aquationes, & Tantali sitim, & Tityi viscera, & Sisyphum saxum versari, sudantem nitendo neque proficere hilum: cujus nimirum exitus sit novorum laborum primordium. Ibi eos ferarum laniatu, & ignis flammis perpetuis, omni supplicio affectos, aeternis pœnis cruciatibusque vexari. Atque hæc quidem ego à Gobria audivi: tu autem, Axiocbe, de his prudenter statueris. Hucusque Plato; qui ad Gobriam, quem eruditum ante Virum nominat, & Magi nomine illustrem, à cognomine Avo suo, sub Persarum Rege Xerxe celebri, discipulum talia & referentem, provocat.

§. XII. Nunc eant, clamitentque Athei, vel à paganis confutandi, nullam superesse, post hanc vitam, aliam, nullamque præmiorum, vel pœnarum retributionem. Apud Xenophontem Cyrus (conf. in, de senect. libro Cicero.) sapienter admodum philosophatur: Mibi quidem nunquam persuaderi potuit, animos, dum in corporibus essent mortalibus, vivere, cum exissent ex iis, emori: nec verò tum animum esse insipientem, cum ex insipienti corpore evasisset; sed, cum omni admixtione corporis liberatus, purus & integer esse coepisset, tum esse sapientem. De Platoni dogmate Philosophus, è schola ejus oriundus, Apulejus disertissime: Remigrat, ait, Sapientis anima ad Deos, vinculis corporeis his liberata, & pro merito vita, purius castiusve transacta, hoc ipso Deorum se conciliat conditioni. DIIS certè SIMILES, vel CUM DIIS minimum futuros esse semet, confidebant. Ipse, in Apologetico, Tertullianus, postquam Tartaro gehennam, Elysiisque Campis Paradisum ethnicos fuisse imitatos, didicit, converso ad eos sermone quærit: Unde hæc, oro vos, Philosophis, aus
Pod-

Potest tam confimilia? Non, nisi de nostris (respondet ipse,) Sacramentis. In confutatione Jovis apud Lucianum homini Cynisco atheo, divinam Providentiam neganti, Jupiter respondens introducitur: Antu ignoras, quanta, post hanc vitam, pravos atque sceleratos homines manere soleant supplicia, aut quanta victuri boni in felicitate sint? Conf. & Justin. Martyr. in colloqu. cum Tryphen. & in cohortat. ad Graec. & Apologet. 2. pro Christian.

§. XIII. Ex gentilitate inter *Gracos*, rerum naturalium potissimum interpretes, Religionis verae censor rudior *Galeno* vix occurrit. Hic nimirum ausus est ex *V. T. Mosen*, & ex Novo ipsum iugillare passim *Servatorem nostrum, Christum*. Vid. lib. XI. de usu partium *Corp. Hum.* c. 14. Idem l. 2. de pulsuum differentiis, c. 4. ubi stylo virulento *Mosen* pariter ac *Christum* vellicat; conf. l. 3. de puls. diff. c. 3. Quid *Galenum* igitur putabimus dicturum, si ab ipso quaereretur: *an admitteret, ex Virgine Maria natum Christum?* Citra dubium negaret cum *Cerintho*, posse fieri, ut *Virgo* pariat, virginitate integrâ. Quod ut verum est de *θεοῦ γεννητός* (qui miraculose, ac naturam supergrediente modo natus est;) ita nihilominus negari nequit, factum & irregulariter, ut *virgo, & puella pareret, ignorans omnem virum*. Collegit unum alterumque (*Dissert. nuperâ ingeniose adornatâ, & per rationales cogitationes Partus Virginis inscriptâ,*) *Hamburgens. Prof. meriss. Dn. Lic. Gerb. Mejerus*, memorabile exemplum ex *Bartholino*, c. XI. de viis partus, p. 124. seqq. *Gallorum Ephemerid.* ad Ann. 1676. factum simile de partu virginis puellæ, uterum fere-tis. Testis *D. Gabr. Clauderus* est, de *Thuringi* alicujus molitoris foemina, Anno *MDCLXXII.* non procul à *Numburgo* lepidam puellam peperisse; quæ octavo die, ex quo lucem adspexisset, prolem pariter viven-tem,

tem, & lavacro tinctam sacro, est enixa. Eò confu-
lendus Dn. D. *Christian. Francisc. Paullini*, Conf. & Ar-
chiat. *Isenacens. Celeberr. Observ. VII. Der Zeit für gene-*
den und erbaulichen Lust. & qui princeps omnium lau-
dandus erat *Generosus. Dn. de Mandesso in Itin. Ind.*

§. XIV. Quicquid sit à derisoris *Luciani*, aut *Galeni* etiam iudicio hîc expectandum; ex *Historia* non modò curiosa, sed & *Eclogâ Virgilianâ* amplius quid proferendum nunc. De progressu fidei, in *Chinens. Regno*, edidit per literas relationem *P. Jo. Adamus Schallus*, *Ignatiani Ordinis sacerdos*, c. 20. p. 261. Cùm ex *Tartarorum Regulis* nonnemo ingrederetur *Templum nostrum*, de origine imaginum sacrarum inquirebat; & edoctus aliquantum. Cùm de *diva Virgine*, gestante ulnis *Jesum puerum*, percunctaretur; quidam de adstantibus majoris ordinis *Nobilibus Occidentalis Tartarus*, & *Sinici idiomatis* perquàm gnarus, catechiste munus suscepit, ac *Regulò, Christum natum ex Virgine*, pro hominibus passum, verè mortuum, postea resurrexisse, & ad cælos ascendisse, omnia, sine errore, annuntiavit. Caro hæc & sanguis revelârunt minimè; sed ex auditu (quandocunque?) facta est notitia. Quod idem intellectum velim de *virgineo conceptu Sommonocodoni*, *Siamensium idoli*, radiorum geniti *Solarium*; *Huetio* in quæst. *Alnet. prodente* l. 2. c. 15.

§. XV. De *Virgiliana* IV. *Ecloga* peculiarem rei dignitas meretur diatriben. Etsi enim *Sibyllarum* carmina oraculavé studio hîc breviter attingimus; gnari, quid, post *Augustinum*, *Scaliger* ad *Isaac. Casaubon.* hic contra *Baron.* quid de consummat. seculi *Gerhardus*, aliique alibi, ut *uaxæ; ms. Hulfem.* *Comment. in Jerem. Osiander* super *Esai.* sentiant de *Sibyllinis*; (quibus tamen plures longè

longè iterùm ex Patribus opponi possent, & Theologis nostratibus; ne quid de *Schmidio Erasmo* nostro dicam; ex præsentì tamen *Ecloga* tentabimus, an solidi quid demonstrare liceat *de partu Virginis*? Incogitantia miramur horum primò, qui supposititia, sub *Hadriano* demum *Cæsare* conficta, *Sibyllarum* carmina in universum temerè pronunciant. Cùm *Perfo-Chaldee* tamen mentionem fecerit, *Nicenor*, qui res *Alexandri M.* scripsit; sicuti *Euripides* *Libyssa* pariter *Sibylla* meminit in *Lamia* præmisso prologo, *Chrysippus* *Delphica*, in, de divinitate, libro. *Erythraeam* antiquissimam *Apolodorus Erythraeus* laudat, *Sami*amque *Erato*sthenes, *Virgilius* *Cumeam*, *Hellepontiam Sibyllam* *Hemclides Ponticus*, Romanus Consul altero, de Divinatione, libro, plures, & inprimis illam admiratur, ab *Acrostichide* (quam non intelligebat, nec tantoperè curabat *Cicero*,) nobilitatur hæc: *JESUS CHRISTUS, DEI FILIUS, SERVATOR.* Carmen integrum ex Græca in Latinam eleganter transtulit *Castalio Sebastianus*, & Jure consultissimus *Clasenius*, in opere, de Gentilium Oraculis, repræsentavit, per appendicem. In *Capitolio* servabat vetus *Roma* libros abditos *Cumæa*, (quæ non confundenda cum *Cumana* est,) *Sibylla*; à *Tarquinio* redemptos *Prisco*, non *Superbo*, ut *Orat.* 2. de *Sibyllin.* libb. *Schmidius* ostendit contra *Dionys. Halicarnassensem*, 4. *Antiqu. Rom.* 70. serò nimium, ac parte maximâ combustos flammâ. Horum simul conscii *Ovidius* *Virgilius*que erant; unde ille nascituram sancta de *Virgine* prolem nullicunde potuit, quàm ex *Sibyllinis* divinare, quòd *Augustus Cæsar* sit

Visurus prolem sanctâ de Virgine natam.

Ferre simul nomenque suum, curasque; —

Licet hoc oraculum non intellexerit, sed ad *Livia Tiberium* fortassis applicaverit Poëta. Vid. *Schmidius* *Orat.* 3. in med.

§. XV. Esto, scripserit ad *Pollionem* Oratorem, vatem, & tùm Consulem, eique dedicaverit hanc *Eclogam* *Virgilius*, A. V. C. 713. (quo tempore Collegam *C. Domitium Calvinum* Consul. *Pollio* habebat, cùm ablatum à *Judais* sceptrum per *Herodem* Regem, à *Senatu Romæ* designatum, esset,) atque propter *Salonium* recens natum filium adulatoriè sit gratulatus. Esto, minimè intellexisse talia *Virgilium*; non tamen sequitur exinde, quod obtrusit *Servius* commentum eruditis, agi hîc de nescio quo,

C

Pollio-

*Pollionis filio. Putabimusne Genethliaco hoc tanto dignum vi-
sum pusionem, quo ne quidem Cesarem, quantumvis assentando,
dignum predicare potuisset? nam sublimiora se canturum polli-
ceretur; & quod dicit, facit. Hæc ex Sibylla carmine Cumæa mu-
tuabat; cujus ultimam venisse jam ætatem, ait. nam post septimum
tricesimumque annum ex hoc tempore nasciturus JESUS CHR.
DEI FILIUS SERV. erat Magnus oraculorum ordo nascebatur
iùm ab integro, cum novum hoc creaverat in terris Deus, ut Virum
fœminâ circumdaret; quam Virginem appellat cum Sibylla vates.
Jam nova progenies Cœlo demittitur alto. Ad quem alium hæc
pertinent (Eusebio quærente, in, de vit. Constant. M. lib. V. qui
in scriptus ad conventum est Sanctorum,) quàm ad filium Maria,
semper Virginis? Toto surget gens aurea mundo; ad Ecclesiam
quæ pertinet colligendam ex Hebræis & gentilibus, Virgilius non
capiet, errabundus achronismû committebat. Teq; adeo decem hoc
evi, te Consule, inibit. Nunc mirare cothurnata verba: Ille Deum
bitam accipiet, -- Pacatumque reges patriis virtutibus orbem. Nemo
hominum vel meruit, vel potuit præstare talia: In terra pax Ho-
minibus ab Angelorum choro publicata: Hinc & nec magnos me-
suent armenta Leones. Istiusmodi prædixit Esaias etiam, quæ
eccecinat Cumæa. Mittimus hic illustranda multa, his acquiescentes;
Clara Deum soboles, magnam Jovis (imò Jove) incrementum.
Omnia sunt bona nunc, clausula quando bona est: Incipe parve
puer cui non risere parentes; Non Deus hunc mensâ, Dea nec dignata
subiti est. Ad quem hæc pertinent mortalium? Ad Saloninum pue-
rum? Tenete risam.*

§. XVI. Longum equidem referre videretur, quàm reli-
gioso Commentario Eusebius hanc omnem Eclogam ad Christum
applicet, adjicente Augustino calculum; in primis pernegante,
duos hosce versus:

*Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri
Irrita, perpetuâ solvent formidine terras;*

de alio, quàm Christo dici Domino, humanum redimente genus. Fuit
vaticinium Cumææ, ante Servatorem natum; cui *Crytbrææ* concinit
Acrostichis, à Tullio laudata, adeo, ut ipsum Salvatoris nomen,
Ἰησοῦς Χριστὸς Θεὸς υἱὸς, Σωτῆρ literis exprimat initialibus. Sic ab
Eusebio enumerantur quoque versus:

Ἰδεὺσθ

Ἰδρώσῃ γὰρ χθῶν, κρείσσει σήμερον ὅτ' ἔσται,

Ἦξει δ' ἔργαίον βασιλεύς, ἀγῶσιν ὁ μελλῶν

Σάρμα παρῶν κρῖναι πᾶσιν, καὶ κόσμον ἅπαντα

& quæ sequuntur. Vides, de terrore etiam adventûs (Da der grosse und schreckl. Tag des Herrn kommen solle/ Joel. 2) agi, de venturo item, universam judicante carnem, Rege. Novimus, quid olim solidissimæ Vir eruditionis *Opsopæus* hîc, & ex eodem par Duumviro-
rum ex Theologis nostratibus præcipuum regesserit: Authenticeam non esse hanc Acrostichida, aut ad minimum non eam, quam indigitaverit Romanus Consul. Sed, præterquàm quòd clarissimè sic obscurantur dicta, aut non necessariis exceptionibus elidi propositiones veræ possent omnes; acutissimus Philosophus, *Jacobus* scil. *Martini* scribit; *Manifestum est, quàm alia Sibyllæ carmina, quorum literæ capitales (seu initiales) certi aliquid significane, non extant, Ciceronem hac ipsa legisse.* Cui etiam sententiæ adstipulabatur priùs ὁ *Θάυμαστος* iudicio, auctoritate, scriptis, Doctor Theologus, Præpositus Eccles. *Tubing* Academiaeque Cancellarius, *Dn. Tob. Wagnerus*; qui, ut in *Oracula Sibyllarum* ante hos triginta ampliusque annos diligenter inquisivit, editâ de his Oratione disertissimâ, sic meruit, à quo non discedamus temerè. Nec opus erat, ut *Θεογνίδας* hæctenus eligeret *δατέρας*. *Magna me confirmat vigilantia, quâ Romani, inprimis Augustus ante, & Tiberius post Christum natum, quàm curatissimè caverunt, ne libri Sibyllini, sine delectu reciperentur, & recepti promiscuè ab omnibus legerentur; ut Tacitus & Suetonius (hic de Augusto, ille de Tiberio,) Scriptores gravissimi testantur.*

§. XVII. Nec tamen id *Eusebio* largimur, quem rectissimè *Bæclerus*, stans ex ἐναντίας quoque, corrigit: *Poëtam non ignarum mysterii, de Christo scil. fuisse.* Sufficit, *Virgilium*, admissionis intimæ clientem, in *Augusti* aula extitisse. Singularem ergo ex indultu carmen habuit *Cumææ*, & in hæc Ecloga id cecinit, quod æquè ignoravit, atque *Caiphas*, vaticinator morientis Christi. Consentunt *Sixt. Sen. Onuphr. Panz. Possevin. Martini. Franzius. Clasenius. Boxhornius. Jonas Velisius. Schedius.* Multò minus affirmamus cum *Jano Jacobo Boissardo, Vesontino*; qui in *Epistola tract. posthum. de divinatione ac præstigiis magicis, dedicat. locutum per Sibyllas* asserit, (exemplo *Bileami*),

quandoque Spiritum S. cum, si Dæmon ipsemet non suggessisset, (uti alibi confitebatur, *tu es Christus, filius Dei vivi,*) veluti non ignorabat; nihilominus ex Prophetarum vaticiniis depromere, in facili fuisset. Neque tamen necessario conficitur, *Sibyllas hæc non aliunde, quàm à Judæis habuisse*; veluti *Boxbornius* in *Hist. Univ. de Sibyllin. divinationibus* collegit. Omnium minimè adstipulamur *Bellarmino*, statuenti, *multa clariùs Sibyllas prædixisse, quàm vel Prophetarum ullus*. Siquidem ab illis nihil novi, aut oraculo affine, dictum sit, quod non sit dictum ab his priùs; ut ex vero judicat *B. Dn. Calovius*, in *Syst. Locor. Theol.* part. 1. c. 3. p. 447. de autorit. *Sibyllar.*

§. XIIII. Manibus ambabus interim concedimus, sub nomine *Sibyllinorum* carminum supposititia non pauca venditari; illa nihilominus, quæ ante *Christum* natum, aut secuto proximè seculo, à Scriptore ethnico, aut non-Christiano allegantur, citra dubium præsumi possunt, genuina esse *Sibyllina*. Talis ille locus etiam Oraculi de *Turri Babylonica*, quem genuinum ex *Josepb. l. 2. Antiqu. Jud. c. 5.* arguit Vir magnus: cum probabile videri nequeat, *Judæum*, qualis inter veteres *Josepbus* extitit, in gratiam religionis Christianæ, ad *Sibyllæ* oracula provocasse. Et si igitur haberi hypobolimæa debeant, notante sapienter *Opporæo*, quæ de *Noa*, de *Diluvio*, de *Mose*, *Lege*, *Babylonica captivitate*, de que *Monarchiis IV.* & similia in distinctis vulgò referuntur *Sibyll. libris*; omnia conficta tamen hæc, aut supposititia oracula arguere, non ignorantia, sed petulantia adscribit, propter nubem testium, *Wagnerus Cancellarius Magnif.* in annotat. ad *Orat. variis.* Ex Scriptoribus antiquis *Varro*, *Livius*, *Cicero*, *Virgilius*, *Ovidius*, *Plinius*, *Sueton.* *Josepb.* *Dion.* *Halic.* *Jamblicus*, *Plutarch.* *Ælianus*, *Pausan.* *Scholiastes Aristophanis*, *Cedrenus*, *Procop.* *Suidas*, *Agathias*, *Hermias Philosophus*: è Patribus *Justin.* *Clemens Alex.* *Lactantius*, *Eusebius*, *Ambrosius*, *Hieronymus*, *Greg. Nazianz.* Et ne quid de *Servio*, *Isidoro*, *Marciano Capella*, aliisque memorem, pro *Sibyllis*, post *Boissardum*, *Baron.* *Bellarmin.* *Franzius*, *Schmidius* pluresque militarunt.

§. XIX. Nunc ad Sapientum è gentilitate veterum alia *Θεολογία* progrediamur. *An agnoverint corruptam Hominis naturam etiam increduli?* requirat aliquis. Res certa de *Platonitis.* *Porphyrii*

iii præceptor, & discipulus *Ammonii*, *Plotinus*, magus idem atque inimicus *Christiani* nominis, *Ennead.* 1. 8. 3. Σωμάτων δὲ φύσις, αἰτ, καθύπερθε μετέχῃ ὕλης, κακὸν εἶη. *Natura corporum, quantum, est materie particeps, malum est.* Inquirens causam, adjicit: *Affectuum obfuscatorum, contra Rationem, pugnam.* Græca, utpote, prolixiora, non sistemus, sed Latina tantum verba: *Si vis rationalis offenditur, discernere prohibetur offuscata perurbationibus, (affectibus) & materie tenebris obruta; veluti quæ annuendo prolabitur in materiam; & omnino non ad essentiam, (audite Flaciani!) sed generationem spectat; cujus origo est natura materia, usque adeo mala, ut illud etiam, quod nondum est, in ea tantum verò eam prospicit suoque malo implet.* Porro colligit *Plotinus*, 3. *Ennead.* 2. 4. Καὶ σῶμα σύνεσι, καὶ ἐξ ἀνάγκης ἐπιθυμία. *Corpus inest, & ex necessitate oritur concupiscentia.* Quis mali ortum inter infideles penetrasset propius. Idemque loco alio vocavit vitia τὸ σκότος, cæcitatem intellectus, κακίαν item atque ἀμετρίαν τῆς ψυχῆς, pravitatem & inordinationem animi.

§. XX. Non penetraverat *Araspes, Persa*, ap. *Xenoph.* (in *Cyrip.* lib. 6.) causam; cum existimaret, duas sibi esse animas contrarias. Δύο, inquiens ad *Cyrum*, ἔχω ψυχάς. ἡ γὰρ δὴ μία γὰρ ἔστι ἀγαθὴ ἐστὶ, καὶ κακὴ, ἡ δὲ ἄλλη καλῶν τε καὶ αἰχρῶν ἔργων ἐστὶ, καὶ ταῦτα ἄλλη βλάπεται πρῶτον &c. *Duae vibi sunt anime. Nam una si esset anima, non & bona simul esset, & mala; neque res pariter honestas & turpes amaret; neque simul eadem vellet, & nollet facere.* Subjungit mox: *Manifestum est, duas esse animas; & ubi penes bonam animam imperium est, honeste res suscipiuntur; ubi verò penes malam, aggrediuntur res illa turpes.* *Christiani* rectius ex illo *Pauli ad Rom.* 7, 23. Βλέπω νόμον ἔτερον ἐν τοῖς μέλεσί μου, ἀντιστρατεύομενον τῷ νόμῳ τοῦ νοῦς μου. *Quicquid sit; profectò admiratione dignum, non hæc latuisse veteres Philosophos omnino, & Poëtas. Clinias ap. Platonem: (de LL. 2.) Primam optimamque hanc victoriam existere, ut quis se ipsum vincat: turpissimum autem aliquid & pessimum, ut à se vincatur ipso. Ταῦτα γὰρ, ὡς πολέμους ἐν ἐκάστοις ἡμῶν ὄντες, πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς σημαίνει. Hæc omnia singulis, adversus semetipsos, BELLUM ESSE, significant.* Quid clarius de *Lucia* illa, *Rationem* inter atque appetitum, dici posset? Posset equidem

non unus adhuc locus ex Poëtis Tragicis, Euripide ac Seneca commemorari; sed hic agmen claudat ille ex Ovid. 2. de Amor. Eleg. 4.

O Dii! non possum cupiens non esse, quod odi,

Heu, quàm quod studeas ponere, ferre grave est!

Nam desunt vires, ad me mibi, jusque regendum;

Auferor, ut rapida concita puppa aqua. vid. Pfannerus loc. alleg.

§. XXI. Plura equidem possemus memorare loca, nisi brevitatis placeret magis. Ex Xenophonte, Cicero, ac Ovidio egregia de Rationis atque Appetitus pugna liceat proferre. Multus est in talibus exaggerandis c. 3. de vero Cultu, atque alibi, Laflantius, exemplo *Herculis*, in bivio Virtutis vitiique constituti. Xenophon exponit *Herculis* *æodius* drama illud latè 2. Memorabilem, de factis Socratis & dictis. Plato insuper attingit in *Protagora*, & de LL. 4to; sicut etiam in *Prodicò Philostratus*, & tabula Cebetis. Adde Ciceronem l. de Offic. c. 32. & Nason. 3. Metam. fab. 1. de Medea confitente:

Sed trahit invitam nova vis; aliudq; Cupido,

Mens aliud fovadet: video meliora, proboque,

Deteriora sequor.

Luctam hanc disertius ex Platoni X. de LL. Alexandrinus Clemens l. 5. Stomat. f. 593. edit. Colonienf. i. e. VVittenbergens. Anno 1688. impressæ confirmavit: Μάχην εἶναι ἀθανάτων, καὶ Κυλακῆς θαυμαστῆς δεομένην; Pugnam immortalem esse, & que indigeat cautione magna. Ibidem idem luctæ hujus causam indicat; malique nominat originem: Διὰ βολῶν τῶν πᾶσι δαιμονίων ἄρχοντα κακῶν γὰρ ψυχὴν εἶναι; animam videlicet maleficam, diabolorum principem existere. In *Phædro* quoque: Demon, ait, aliquis admiscuit vel imprudentiam, vel voluptatem. Quid præclarior ab homine pagano expectari poterat?

§. XXII. Divinis Seneca contenti ἀποφθέγματα, silentio transmittimus *Biantis*, de peccato omnibus ingenito mortalibus, (originale cogita!) sententiam: Πάντες ἄνθρωποι κακοί. Τὸ μὲν ἐξαμαρτάνειν πᾶσι ἐπιφύτον καὶ κοινόν. Sic quoque *Sophocli*. v. 101. & *Euripid.* quæ & Dn. Pfannerus urget loca. Peccatorum differentiam *Romanus* etiam notavit Sapiens in l. de Clement. c. 6. Peccavimus omnes; alii leviora; alii ex destinato, alii fortè impulsè

impulsi, aut alienâ nequitia ablati: alii in bonis consiliis parùm fortiter
stetimus, & innocentiam perdidimus inviti, atque venientes. Di-
scant Stoicorum reliqui! non esse paria in universum, aut æqualia
peccata. Discant à pagano Christiani Seneca, monente: *Militandum*
nobis est, & quidem genere militia quo nunquam quies, nunquam o-
tium datur. Persequere vitia sine fine, sine modo, nam illis quoque nec
finis, nec modus est. Projice, quæcumque laniant cor tuum! quæ si ali-
ter extrahi nequirent, cor ipsum cum illis evellendum erat.
Vide, quàm ex intimo recessu temperantiæ deprompta
hæc! ferèque juxta illud Christi, ap. *Matth. 5, 29.* mora-
liter intelligenda sint: *Si oculus, & dextera tua offendiculo sit tibi,*
ejice, aut amputa! Sic pergit Seneca laudatus: *Præcipuè volu-*
ptates inimicissimas habe, latronum more! In hoc nos amplectuntur,
ut jugulent. O monitum incomparabile!

§. XXIII. Intelligimus hinc, fontem fomitemque mali in
demonibus hominibusque ipsis quæsisse Sapientiores, Græcos
maximè Doctores, Deo autem soli tribuisse summam gloriam &
actionis bonitatem. *Lycurgus, Stobæus* teste: *πῶς, exclamat, ποη-*
εῖν θεῖν ἐν ἑσπέρῃ θύσῃ, τὸ σωθῆλον; Vab, quàm depravata est bo-
nitatis natura prorsus! Referente *Augustino*, monitum *Bianis* erat:
Ὅλα ἐν αἰῶνα ἰὸν περὶ τῶν, εἰς θεοὺς ἀναπέμπε: Quicquid boni e-
geris, in Deos refer! Audi, quàm pulcherrima sit *Epicteti* admo-
nitio: *Si quid valemus mente, quid nobis agendum, nisi ut Deum*
assiduè celebremus, & gratiarum actionem canamus, dum terram
fodimus, aut vertimus, sive laboramus, sive requiescimus! Sed
Pauli sanctior. *I. Cor. 10, 31.* *Sive comedatis, seu bibatis seu quid*
aliud faciatis, facite hæc omnia ad Dei gloriam! Conf. *Coloss. 3,*
17. *Nisi* (scribit in præfat. qq. natural, optimus præceptor pessi-
mi discipuli *Neronis*) *admitterer ad hæc caelestia, non fuerat operæ*
pretium, nasci. Quid enim erat car in numero viventium me po-
situm gauderem? An ut cibos & potiones percolarem? ut hoc cor-
pus casurum ac fluidum periturumque, nisi subinde impleatur, farci-
rem, & agri viverem minister? Detrahe hoc inestimabile bonum;
non est vita tanti, ut sudem, ut astuem.

§. XXIV. De multis aliis interque hæc, de consummatione sæculi,
de Beatorum insulis *Elysijs*que campis, de inferis, & *Tartaro* non
pauca præterimus, quæ de mundi *Stoica* exustione tradidit *Thoma-*
sus

sius ὁ μακροχρόνιος. An ἔ resurrectionem corporum admiserint
Platonici? si quaeras; Socrates respondet in Platónico Phaedone,
vel de Anima: Contrariam morti generationem expectandam,
reviviscere. Proinde nobis convenit hoc (pergit Socrates) hanc ra-
tione viventes fieri ex mortuis, quam mortuos ex viventibus. Quod
cum ita sit, sufficientem conjecturam hinc haberi, mortuorum animas
esse necessario alicubi, ut inde revertantur iterum. Quomodo id
fiat? Socrates per ψυχοναυνοζιαε errabundamente explicat: Per-
inde, ac si caderet in somnum quis. Ex mortuis viventes fiunt, ἔ su-
persunt mortuorum anime. Quamobrem ἔ hanc ratione immorta-
le quiddam anima.

§. XXXV. Ite Athei, audite aliquando, quid adversus vos di-
cturi, quomodo per plurima credendi capita gentiles vos accu-
saturi sint Doctores veteres! Tolerabilius profecto punientur per-
tinacibus empæctis. Duplo feret gravius supplicium, quod volun-
tatem novit Domini, mancipium. Sed an id propter permittemus
Ludov. Viv. in, ad Augustin. Comment de C. D. lib. 18. c. 47. per gra-
tiam id consecutas esse gentes sapientiores, quod Judæi consecuti sunt
per legem. Aut Erasmo in, ad qq. Cic. Tuscul. comment. Ethnicos
quantumvis idololatrias, salvatos esse multos? Quis non merito mire-
tur, Grotio id placuisse scribere, 2. de J. B. & P. c. 20. §. 45. Notan-
dum est, religionem veram (quæ religio tamen minimè est vera, fi-
dem pariens salvificam, sed naturalis tantum aliqua cognitio, per-
quidem imperfecta, ratione πρὸ ἕως ac γενεῶν,) quæ aetatum omni-
um communis est, quatuor precipue pronuntiatis nisi; quorum pri-
mum est, Deum esse, ἔ esse unum; secundum, Deum nihil esse eorum, quæ
videntur, sed his aliquid sublimius: tertium, à Deo curari res huma-
nas, ἔ æquisimis arbitriis dijudicari: quartum, eundem Deum opifi-
cem esse rerum omnium, extra se. Hæc quatuor totidem Decalogi
præceptis explicantur? Ne quid memoremus de Clemente Alexandr.
qui in Stromat. lib. VI. strenuus gentilium salutis est assertor. Post
Huldric. Zwing. i. de Provid. part. I. Eduardus Herberius, Baro de
Cherbury, lib. de Relig. Gentilium, articulis inclusit V, necessaria o-
mnibus credendi capita; quæ nec enumerare, animus, nec refutare
mens est, cum sint omnino absurdissima. Qui volet, videat Hist. Eccl.
G. Horn. period. II. Act. 5. n. 45. Nos soli Deo gratias exsolvimus.

88 (0) 88

Coll. diss. F. 26, misc. 9